

Ad compingendum *Codicem* utrinque adhibita est Membrana duabus columnis exhibens Fragmenta cujusdam Commentarii Rabbinici in *Psalms*, ut videtur, caractere vetusto hebr. hispano absque punctis exarata.

CCXLIII.

R. 2002 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 168. f. per duas columnas exaratus rubricis enotatus, et quondam, ut pluribus locis, maxime verò sub Indicis calcem, legitur, *Carthusiensium orti sancte marie in praga sub monte petrino. donatus per Meynbardum de Nouadomo. Indigni domini et plebani in Telcz*, quem ne Gubernatorem *Bobemiae* a. 1449. e vivis sublatum pronunciem, τὸ *plebani* retinet, est notus, et jam *Vol. I.* a me relatus *Mammotrectus*, five *Expositio Vocum* difficultiorum, quae cum in Bibliis, tum in ecclesiastico per annum Officio occurrunt, rudioribus Clericis dicata ab *Joh. Marchesino*, quem *Editio Colon. per Joh. Koelhof* 1479. 4. in *Murachisum* deformat, O. M. Primus eam prelo subjecit *Petr. Schäffer Moguntiae* 1470. in aliumque rededit ordinem, ut ipse in *Praef. ad calcem* adjecta narrat, et *Collatio* cum praesenti Codice instituta confirmat. Interim Codici nihil deest, quin uber sub finem rerum Index accessit. Prologi initium est: *Im-*

patiens proprie imperitiae ac ruditati compaciens pauperum clericorum &c. Si quid in futurum ejusmodi Operis necessitatem adduxerit, id non tam paupertas, quam Linguae latinae neglectio fuerit. Sub Prologi finem ait Autor, *Expositionem suam morem Paedagogi gerere, qui gressus dirigit Parvulorum*, atque inde *Mammotrectum* adpellari posse; quod, quomodo cohaereat, non dispicio.

CCXLIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3243 XIV. Folior. 160. 8. per duas columnas non una manu, minute sed nitide descriptus, rubricis enotatus, et olim *Bibliothecae Civicae Vindobon.* sequentia continet: I. ut ad oram inferam *fol. 1.* legitur: *Notabilia super omnes libros byblie*, id est *Expositio Vocum* minus obviarum, qualem ampliore dedit *Joh. Marchesinus* O. M. in suo *Mammotrecto*, ut non semel utroque *Vol.* indicavi. Praesentem porro ex illo carptam fuisse, alia manus ad Titulum mox relatum adnotavit. Initium est: *Prologus est caput compositionis uel sequentis operis praefacio. et dicta praefacio quasi prolocutio &c.* Pertinent haec ad *Hieronymi in Pentateuchum Prologos*; nam et hi delibantur. Extrema *Apocalypseos* sunt: *iuste fornicator supplicijs afficitur. Explicit liber iste. deo gratias.*

Sit bonus oro status vester, finisque beatus.